



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 33ra-33vb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 4 quaeritur utrum angeli fuerint creati beati.

Quod sic, quia beatitudo consistit in visione Dei. Sed angeli in primo instanti creationis viderunt Deum, alias in Verbo creaturas non cognovissent cognitione matutina, quod est contra Augustinum; ergo fuerunt creati beati.

Praeterea, Augustinus, De ecclesiasticis dogmatibus, dicit quod angeli qui in illa qua creati sunt beatitudine perseverant, non natura, sed gratia possident, ut non mutantur; ergo angeli sunt creati in beatitudine ».

Contra. De ratione beatitudinis est stabilitas seu confirmatio in bono. Sed angeli non statim in sua creatione fuerunt /33rb/ confirmati in bono, quod patet ex casu quorundam; ergo non fuerunt creati beati.

Responsio. Circa istam quaestionem sunt tria videnda. Primo ostenditur quod fuerunt in gratia creati. Secundo quod suum casum non praesciverunt. Tertio declarabitur principale quaesitum, scilicet quod non fuerunt creati beati.

Circa primum sciendum quod, quamvis de hoc fuerint opiniones, tamen probabilius dici potest quod angeli creati sunt in gratia; cuius ratio est, quia universaliter hoc videmus quod omnia, quae sunt in creatura producta, processu temporis, praecesserunt in ipsa rerum creatione secundum rationes aliquas seminales secundum Augustinum Super Genesim ad litteram, sicut arbores, animalia et huiusmodi. Manifestum est autem quod gratia gratum faciens sic comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem; unde et gratia 'semen Dei' nominatur in Iohannem». Ergo illa quae sunt creata in prima rerum productione ad habendam postea beatitudinem, debuerunt in suo exordio gratiam habere quasi rationem seminalem. Ergo, cum angeli sint huiusmodi, dicendum est probabilius eos in gratia creatos. Et sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod aliquid potest cognosci dupliciter. Uno modo cognitione certa et infallibili, sicut ea quae habent causas necessarias et determinatas, ut solem cras oriri. Alio modo potest cognosci cognitione coniecturali, sicut ea quae habent causas determinatas pro maiori parte, sicut medicus cognoscit futuram sanitatem et nauta tempestatem. Cum ergo casus et confirmatio angelorum dependeat ex motu liberi arbitrii, quod non est causa determinata ad unum, non potuit eorum cognitio haberi secundum certitudinem, nisi a solo Deo, qui praesentialiter omnia intuetur. Sed tamen secundum coniecturam poterant supponere omnes se habituros beatitudinem, quia ad hoc secundum naturam magis inclinabantur vel ad hoc erant instituti; sed casum suum non poterant praescire ex se ipsis nec per certitudinem nec per coniecturam sciebant, tamen potentiam cadendi se habere. Nec hoc fuit eis congruum a Deo revelari, nec poena culpam praecedat; nec etiam bonis debuit confirmatio revelari, ne distinctio praecederet culpa, ut dicitur in littera. Si tamen utrisque revelatum fuisset, accepissent illud non secundum certitudinem, ut in Deo erat, sed secundum modum suum, quasi ad cautelam.

Circa tertium sciendum quod, cum beatitudo sive felicitas consistat in perfecta operatione habentis rationem et intellectum, quae perfecta operatio consistit in contemplatione sive speculatione altissimi intelligibilis, scilicet Dei, oportet quod ultima beatitudo tam Dei quam angeli quam hominis sit contemplatio Dei, non tantum secundum sanctos, sed et secundum philosophos. Quia tamen ista



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 33ra-33vb
transcribed by Andrea Colli

operatio non convenit omnibus aequaliter, ideo nec beatitudo aequaliter omnibus, sed diversis diversimode, in quantum habeat operationem diversimode attingit secundum diversum modum suae perfectionis; et ideo beatitudo convenit diversimode Deo, angelis et hominibus secundum naturam suam considerantis. Ipse enim Deus seipsum videt per suam essentiam non per suam similitudinem intellectus angeli naturali cognitione videt ipsum per similitudinem eius acquisita in ipso. Unde in Libro de causis dicitur, quod intelligentia scit quod est supra se, in quantum est creata a Deo; unde similitudinem causae participat secundum modum suum. Sed creatura rationalis non pervenit ad istam visionem naturali cognitione nisi per similitudinem ex creaturis receptam, in quantum per ea quae facta sunt, invisibilia cognoscit. Differt autem talis visio tripliciter, ut sensibiliter loquamur, secundum triplicem corporalis visionis differentiam. Videmus enim quod oculus videt lucem in pupilla existentem non per aliquam speciem, sed se ipsa, et haec visio est similis illi, qua Deus videt se. Alio modo videt aliquis hominem per similitudinem immediatam ab ipso receptam, et huic similis est illa qua angelus Deum videt naturali cognitione. Alio modo videt aliquis alium hominem in quantum intuetur similitudinem eius in speculo resultantem; et haec visio similis est illi qua intellectus humanus secundum sua naturalia Deum videt, et propter hoc 'in speculo et aenigmate' dicitur videre, et in hac beatitudine creati sunt angeli, quae debetur eis pro tempore illo. Alia est perfectio divinae visionis in quam secundum suam naturam non possunt devenire, cuius tamen sunt capaces per gratiam, ut scilicet ipsum Deum in essentia sua videant, sicut est non per aliquam similitudinem acceptam, ut eorum beatitudo divinae beatitudini sit conformis; et in hac beatitudine creati non sunt, quia hoc beatitudo non est aliquid naturae, sed finis naturae totam facultatem naturae excedens.

Ad primum dicendum quod beati videbunt Verbum per similitudinem Verbi impressam in eis et in illa non consistit beatitudo.

Ad secundum dicendum quod Augustinus loquitur de ista beatitudine prima, quam angelus in statu innocentiae habuit per sua naturalia, non de secunda.

/33va/ Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum angeli intelligant per species innatas vel acquisitas.

Dicendum quod intelligunt per species innatas. Quod patet dupliciter, quia quanto aliqua creatura Deo est propinquior, qui est actus purus, tanto plus participat de actualitate et minus de potentia. Angeli autem ordine naturae sunt Deo propinquiores quam animae humanae. Cum igitur in anima humana sit duplex potentia intelligendi: una quae est ante addiscere et invenire, quae est potentia ad recipiendum speciem intelligibilem; alia est potentia ad utendum specie habita. Ideo iam in angelo, qui est actualior tamquam Deo propinquior, non est nisi una potentia tantum. Non potest autem poni prima tantum quae est ad recipiendum, quia illa includit aliam qui enim non habet speciem, non potest uti specie; ergo oportet quod solum sit in potentia secunda, scilicet ad utendum specie cum actu habeat species. Et sic non recipiunt species a rebus, sed sunt eis concreatae.

Secundo hoc idem patet sic, quia non potest deveniri ab extremo ad extremum nisi per medium. Esse autem formae in imaginatione, quod est quid sine materia, non tamen sine condicionibus materiae, medium est inter esse formae in materia, et esse formae in intellectu per abstractionem a



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 33ra-33vb
transcribed by Andrea Colli

materia et a condicionibus materiae. Unde quamquam sit potens intellectus angelicus, non posset formas suas reducere ad esse intelligibile, nisi prius reduceret eas ad esse formarum imaginatarum. Istud autem est impossibile, cum careant imaginatione; et ideo non videtur quod angelus possit intelligere per species a rebus abstractas, sed sibi a principio concreatas.

Tertio arguitur sic. Si angelus cognoscit per speciem abstractam a re, cum omnis actio sit secundum modum formae, quae est principium agendi, et illa species abstracta sit a condicionibus materialibus, non poterit per talem speciem cognoscere nisi communem naturam rerum; igitur particularem non potest cognoscere nisi applicando speciem abstractam ad ipsum particulare. Aut igitur novit particulare cui applicat aut non. Si novit, ergo non oportet applicare.

Et praeterea si per aliud cognosceret quam per speciem abstractam et non nisi per infusam, ergo illa superflua erit. Si vero non novit cui applicat, ergo causaliter applicat. Ergo videtur quod nullo modo possit istam speciem ad particularia applicare et sic nec cognoscere; ergo angeli nullo modo possunt intelligere per species acquisitas, sed innatas. «Sed sciendum quod sicut iustitia originalis dicebatur naturalis, non quia causatur a principio naturae, sed quia cum natura conferebatur ut quoddam donum gratiae naturae humanae divinitus collatum, sic illae species dicuntur naturales, non quia causentur a principiis naturae, sed quia convenienter naturae angelicae conferuntur. Per istas igitur species intelligit angelus omnia naturalia. Ex hoc apparet quod localis distantia non impedit cognitionem substantiae separatae, sed indifferenter extenditur eius cognitio ad distans et propinquum secundum locum. Si enim intelligant angeli per species connaturales, cum in speciebus naturalibus non sit variatio per distantiam et propinquitatem rerum, sequitur quod fiat per eas cognitio, sive res sint praesentes sive absentes ».

Modo contra illa arguitur multipliciter et arguitur contra duo quae hic certa sunt. Primo contra principale, secundo contra hoc quod dicitur quod distans vel propinquum non impedit cognitionem substantiae separatae.

Contra primum arguitur primo. Video quod ipsa singularia sunt mutabilia et variabilia omnia. Modo quaero, an angelus habeat tot species unius rei quot modis ipsa variatur, aut tantum unam. Si primo modo, ergo habebit infinitas, quod est inconveniens. Si autem unam tantum habebit, aut variabilem et mutabilem secundum variationem rei aut immutabilem et invariabilem. Si immutabilem et invariabilem, numquam per talem speciem cognoscit rem perfecte, nisi quando est in illa una dispositione ipsa res quam repraesentat illa una species, et ita plura ignorabit de illa re quam cognoscat, cum ipsa res sit diversimode mutabilis. Si vero habet speciem mutabilem secundum mutationem rerum, eadem ratio erit de mutatione cuiuslibet rei alterius. Ergo infinitae mutationes erunt in angelis continue, vel ad minus tot erunt in eis mutationes quot sunt mutationes et motus in mundo.

Secundo sic. Si cognosceret per species naturales, tunc aequè posset cognoscere non entia et futura sicut praesentia quod tamen falsum est ideo etc. Probatio maioris. Dicitur III De anima quod pro tanto intelligimus cum volumus, quod intelligibilia, scilicet species intelligibilium, sunt praesentes intellectui nostro. Non autem sentimus cum volumus, quia sensibilia non sunt semper praesentia nobis; sed sive res sint sive non sint, semper species sunt praesentes intellectui angeli.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 33ra-33vb
transcribed by Andrea Colli

Tertio arguitur sic. Si habet omnes species rerum innatas, cum infinitae sint species numerorum, infinitae erunt species in intellectu suo; et sic, cum cognoscat omnia /33vb/ quorum species habet, cognoscat infinita.

Contra hoc quod dicitur quod angeli possunt cognoscere aequaliter distantia et propinqua, arguitur sic. Quia ad notitiam eodem modo se habent distantia et non entia et vocantur distantia quae sunt extra conspectum nostrum; sed constat quod non entia non possumus cognoscere per species innatas »; ergo nec distantia. Probatio maioris. Quia si aliquid distans a nobis omnino corrumpitur, non magis scimus ipsum non esse nunc quam prius, quando fuit non ens. Ergo distantia et non entia aequaliter se habent ad cognitionem.

Ad omnia illa dico, et primo ad primam, quod angelus per unam speciem cognoscit rem in se et quantum ad omnia accidentia sua, ita quod illa species in se invariabilis est representativa omnis variationis cui subiacet singulare. Hoc autem habet ipsa species in quantum est participata similitudo ydeae existentis in mente divina.

Ad secundum dicendum quod maior patet esse falsa et quando dicitur de Philosopho quod intelligimus, cum volumus, etc., dicendum quod Philosophus intelligit de illis, quae per species iam intelleximus quae fuerunt aliquando entia, et tunc intelligimus cum volumus, sive sint res existentes sive non sive per species abstractas sive infusas.

Secundo dico quod non est simile de speciebus angeli et intellectus nostri, quia cum illae sint a rebus acceptae existentes in intellectu semper repraesentant et supponunt rem fuisse in phantasmate. Sed species angeli non supponunt rem fuisse, quia ab ea non accipitur; et ideo non semper per ipsam res intelligitur, nisi quando est, quia tunc solum incipit res speciei angeli assimilari, non solum quoad essentiam, sed etiam quoad actualem existentiam facto motu quidem non in intellectu angeli, sed in rebus. Quantum enim ad essentiam cognitionis quid est angelus, aequaliter cognoscit rem non existentem sicut existentem, sicut etiam cognoscimus quid est rosa, non existente rosa in hieme. Sed ad cognoscendum de re, quia est quoad actualem existentiam, requiritur quod actualiter ei assimiletur per hoc quod actu existat.

Ad tertium dico quod, supposito quod species numerorum sint infinitae, non oportet quod habeant infinitas numerorum species, quia tantum habent species rerum naturalium quae sunt finitae ad quas numerandas non requiritur infinitas numerorum.

Ad quartum dicendum secundum ordinem eundem quod falsum est quod eodem modo se habeant ad cognitionem non entia et distantia. Unumquodque enim tantum habet de cognoscibilitate quantum de entitate. Non entia ergo, quae nec sunt in suis essentiis, nec in suis causis, cum sint futura contingentia, illa sunt omnino extra genus cognoscibilitatis et etiam entitatis, nisi soli Deo, cui determinata sunt sicut praesentia. Sed distantia secundum locum non sic cadunt extra genus entitatis quare nec cognoscibilitatis, ideo de ipsis angelus habet cognitionem ad minus quid sunt, et forte quia sunt, non obstante distantia, quia imitantur vel assimilantur speciei angelo concreate, non solum quoad essentiam, sed etiam quoad existentiam, licet localiter distent. In nobis autem species intelligibilis accepta a rebus quae propter sui imperfectionem repraesentativa est solum rei quoad essentiam non quoad existentiam. Ideo per ipsam solum cognoscimus de re quid sit, non quia sit. Ad maiorem



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 33ra-33vb
transcribed by Andrea Colli

dicendum quod maior est vera in nobis, non tamen in angelis. Ratio est, quia non possemus habere speciem intelligibilem, nisi re prius existente. Ideo intelligimus cum volumus propter phantasma quod habemus de re. Sed non est sic de angelo, quia habet speciem antequam sit res quae est principium intelligendi rem.

TEACHPOL